

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0077

0075

0081

0071

0086

0066

0126

0026


0176

0576

1076

Ende

Anfang



66

impetu decurrebat aqua. Ibi ergo de asinis decendimus et sub frondibus ad decursum rivi conscendimus divisi per societates, et ea, quae adhuc supererant in saeculis nostris, produximus et manducavimus et de aqua bibimus, quae inter saxa decidens erat clara, viva, recens et sana. Ego autem cum producerem reliquias sacculi mei, inveni omnia contrita in minutas partes et commixta, panem, ova dura et caseum, quod mihi accidit, cum volutarer in palude cum asino, ibi enim in agitationem venit saccus sub me, quod super eum sedi, et ita omnia in minutissimas micas contrivi. Quia tamen famelicus eram, sedi et ipsas micas commixtas manducavi cum delectatione; nam animae esurienti etiam amara dulcia esse videntur, Job c. 6.: et ideo quae prius dedignabatur tangere anima mea, nunc prae angustia cibi mei facti sunt. Fateor, quae in domo non aspexissem, imo horruissem, nunc contrectavi et manducavi sine nausea, et non nisi exiguitatem illarum micarum dolui, et de modicitate querelam habui. Subvenerunt tamen mihi fratres minores, qui nobiscum peregrinabantur, qui practicas sciunt et de sufficienti sibi pane et etiam vino provisionem faciunt. Interea nobis sic sedentibus venerunt ad nos de Jericho viri et mulieres, et sportas magnas plenas uvis asportaverunt et panes, de quibus emimus, et bonum prandium fecimus sine coctis cibis.

Refectis nobis pro modulo cibariorum et non desideriorum, locavimus nos ad quiescendum, unusquisque in loco suae sessionis, et saxa removimus illa, in quibus jacere non poteramus. Tota enim humus plena saxis erat acutissimis, inter quae jacuimus, et quamvis lectus durus fuerit, locus tamen aptus quieti erat, tam ex parte nostri, quam ex parte loci. Nos enim eramus lassus et sobrius, et praeteritam noctem quasi insomnem duxeramus laborantes et balneati in Jordane, et cum hoc tempus meridiei affuit, quo homines somno deprimi solent. Locus vero fuit umbrosus et ab aestu protectus, et cum hoc aqua impetuose labens per saxa sonitum faciebat, quo dormitio in lasso provocatur; collidebantur etiam ex flatu venti folia arborum et virgultorum, quo sono suavis redditur somnus. Nam inter arbusta virentia et olentes frutices levi murmure serpit clarissimus rivus, et ventus molli